

Et, si ratione et sapientia nihil est melius, necesse est haec inesse in eo, quod optimum esse concedimus. Quid vero? tanta rerum consentiens, conspirans, continuata cognatio, quem non coget ea, quae dicuntur a me, comprobare? possetne uno tempore florere, deinde vicissim horrere terra? aut, tot rebus ipsis se immutantibus, solis accessus, discessusque solstitiis brumisque cognosci; aut aestus maritimi fretorumque angustiae ortu aut obitu lunae commoveri? aut una totius coeli conversione, cursus astrorum dispares conservari? Haec ita fieri omnibus inter se concinentibus mundi partibus profecto non possent, nisi ea uno et continuato divino spiritu continerentur.

De Leg. II. 7. Sit hoc a principio persuasum hominibus, dominos esse omnium rerum ac moderatores deos, eaque, quae gerantur, eorum geri iudicio ac numine, eosdemque optime de genere hominum mereri, et, qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat religiones, intueri, piorumque et impiorum habere rationem. His enim rebus imbutae mentes haud sane abhorrebunt ab utili, et a vera sententia. Quid est enim verius, quam neminem esse oportere tam stulte arrogantem, ut in se rationem et mentem putet inesse, in coelo mundoque non putet? aut ut ea, quae vix summa ingenii ratione comprehendat, nulla ratione moveri putet? quem vero astrorum ordines, quem dierum noctiumque vicissitudines, quem mensium temperatio, quemque ea, quae gignuntur nobis ad fruendum, non gratum esse cogant; hunc hominem omnino numerari qui decet? Quumque omnia, quae rationem habent, praestent iis, quae sint rationis expertia, nefasque sit dicere, ullam rem praestare naturae omnium rerum: rationem inesse in ea, confitendum est. Utiles esse autem opiniones has, quis neget, quum intelligat, quam multa firmentur jurejurando, quanta salutis sint foederum religiones? quam multos divini supplicii metus a scelere revocarit? quamque sancta